

## De sancto Martino

ferendas. Ultimo addit numerus omnium electorum cuiuscumque additionis fuerit ut unanimiter intercedat pro nobis ad dominum Iesum Christum. et hoc innuit ubi omnium nunquam placentiū. Pro terminis nota. terrenū hic substantiat in neutro genere. et fecit illud quod procedit ex istis inferioribus et derivatur a nomine terra.

**S**acerdotem christi martinum cuncta per orbem ca-  
vit ecclesia pacis catholice.

**N**ic autor describit aliam sequentiā in laudem et gloriam beati martini. Et dicitur uidit in tres partes. In prima parte commendat beatum martinum ex multarum regionum congratulatione. hortando populum ad ipsius laudem. Secundo commendat eum ex virtuosa miraculorum operatione. Tertio commendat eum de sanctitate vite ipsius cum deuotione precum. scilicet ibi hic celebris. tertia ibi hic oculis. Prima adhuc in duo. In prima parte commendat eum penes gaudia regionum quantum ad iuuenturam. In secunda facit hoc idem penes dignitatem episcopatus. secunda ibi. Et gallie. Et dicit sic (Lucea ecclesia). i. tota congregatio christianorum (catholice pacis). i. christiane fidei (canit). i. laudat et laudare debet (per orbem) scilicet uniuersum. i. per uniuersam terram. scilicet sanctum (martinum) sic dicitur (sacerdotem) id est episcopum (christi) id est iesu.

**Atque illius nomen omnis hereticus fugiat pallidus**

**Pannonia letetur genitrix talis filij**

**Italia exultet alitrix tanti iuuenis.**

(Atque) per (omnis hereticus) id est scismaticus et infidelis (pallidus) id est pallore confusus (fugiat). i. fugere debet (nomen illius) scilicet solennis episcopi (Pannonia) talis regio in qua sanctus martinus est genitus (letetur). i. letari debet. quia fuit (genitrix). i. pductrix vel pcreatrix (talis filij). i. sancti martini. Et (italia) talis regio (exultet) scilicet de eius sanctitate. quia fuit (alitrix). i. nutritrix (tanti). i. tantum sancti (iuuenis). i. adolescentis. quia sanctus martinus est nutritus in italia. Notandum scribitur Eccl. i. Quasi luna plena in diebus suis lucet et quasi sol effulgens. sic ille effulsit in templo dei. In quibus scribitur commendatur beatus martinus in omnibus virtutibus suis. quia effulsit in templo et in ecclesia sua quasi luna perfecta. Unde sciendum secundum astrologos. quod luna est corpus terrestre. non quod sit compositum ex terra. sed quod in comparatione ad alios planetas habet se tanquam terra ad alia elementa. Est enim corpus tenebrosum non habens lumen de se sed recipit lumen a sole et quousque medietas corporis lunaris sit semper illuminata. quia medietas eius respicit semper et solem. nisi fuerit eclipsis. tamen quantum ad aspectum nostrum lumen ipsius augetur et diminuitur. Unde beatus martinus optime luna dicitur corpus habens terrestre. quia natus est secundum cursum nature. et est illuminatus per gratiam diuinam. que est tanquam sol. Fuit enim beatus martinus completus et perfecte illuminatus. nam radij ipsius erant perfectissimi secundum omnes virtutes morales homini possibiles. Fuit enim prudens ab errore infidelium declinando. Fuit fortis omnibus passionibus cum patientia resistendo.